



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 50. Suspensionis sententia Joanni Papæ per Synodi Deputatos
denunciata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV.
A.C. 1415.

contestatur, injuste se accusari, ac si docuisset, substantiam panis remanere in Eucharistia; Corpus Christi, dum elevatur, in hostia adesse, abesse autem post elevationem; Sacerdotem in peccato mortali constitutum non consecrare; posse Dominos bona temporalia Ecclesiis diripere, illisque decimas abnegare, indulgentias inanes esse; Clericos libere occidi posse, aliosque nonnullos errores. Cum vero Synodus ad libellum non respondisset, Bohemi ultima die Maji iteratas offerebant literas, quibus Hussum pluries declarasse affirmabant, semper a mente sua longe abfuisse, vel ullum errorem docere, aut quovis pacto a veritatis semita aberrare; asseriebant pariter, propositiones ex Hussi operibus decerptas ab ejusdem adversariis perperam truncatas, soloque Virum opprimendi studio adulteratas fuisse; denique rogabant, ut Synodus Hussum ad sui defensionem e carcere liberum dimitteret, sui loco cautionem offerentes. Adjectum quoque erat supplici huic libello Episcopi Nazareni testimonium; Nihilominus hi incassum laborabant.

§. L.

*Suspensionis sententia Joanni Papæ per
Synodi Deputatos denunciata.*

*Niem. apud
Vander
Hard tom. 2.
pag. 406.*

Misit Concilium ad Cellam quosdam
Depu-

Deputatos, qui Joanni suspensionem a Pontificatu suo, necnon hujus sententiæ causas nunciarent. Acerbo valde animo hunc nuncium tulit Joannes; hinc sua crimina deplorans, haud vulgaria poenitentiae ac submissionis signa edidit. Mox vero Deputati ab eo postulant, unacum supplicationum tabulis sigillum, & anulum Piscatoris redderet; annuit Pontifex nihil hæsitans, seque eorum custodiæ cum magna demissione tradidit.

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

§. LI.

Hieronymus Pragensis coram Concilio.

Triduo ex post die vigesima tertia Maji Hieronymus Pragensis vinculis constrictus Constantiam venit, sicque ligatus Electori Palatino sistitur, qui ipse eum ad ædem Franciscanorum duxit, ubi ad illum examinandum habita est congregatio. Interrogatus, cur fugerit, ac comparere detrectaverit? respondit, se ad fugam compulsus fuisse, eo quod sibi publica securitatis fides denegaretur, & citationis edictum omnino ignorasset. Postea Gersonius, cui Hieronymus de Praga jam aliunde notus erat, in memoriam revocat, eidemque magnos, quos olim in Universitate suis quæstionibus scholasticis excitasset, tumultus exprobrat. Alius vero quidam Coloniensis Doctor

Vander
Hardt to. 4.
p. 215.

Hist. Ecclesiast. Tom. XXVI. E Hie-